



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXXV. Quando electus sit in Priorem, & de quibusdam virtutum
suarum signis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XXXV

Quando electus sit in Priorem, & de quibusdam virtutum suarum signis.

ANno igitur Incarnationis Domini 1432. Venerabilis hic Pater Arnoldus Hüls in Priorem Monasterij B. MEINULPHI electus fuit, insuper & confirmatus ac solenniter inthronisatus, in quo quidem Priore, quia plura virtutum insignia claruerunt, è pluribus tamen ea, quæ Spiritualibus necessariò videntur imitanda, strictim velut quasdam sententias in medium adduco. Nam morum gravitas, sinceræque religiositas maxime in eo apparebant; Auctoritas etiam & humilitas in illo tantum relucebant, ut non solum Principibus, Magnatibus & Prælati, sed & omnibus gratissimus, amabilis ac etiam honorabilis haberetur. Sic proinde ejus conversatio inter Fratres suos erat, ut amaretur simul à bonis, & timeretur à malis, morumque singulis gerere peroptime scivit, nec non omnibus hominibus verbis Religiosis satisfacere. Exhortationes & admonitiones quam sinceriter & utiliter facere solitus erat, præcipue illis notum fuerat, quorum corda per easdem exhortationes ad meliorem vitam suscitaverat, vultus ejus & aspectus reverentiam & prudentiam omnibus modis prætendebat, quam denique humilis corde fuerit, illis maxime patuit, qui ejus confessiones audierunt. Quando-
cunque etiam cum de exterioribus & temporalibus loqui oportebat inter Fratres vel Sæculares, seu etiam in mensis Sæcularium, semper aliquem deificum & virtuosum sermonem solitus erat admiscere, per quem audientium corda ad DEUM, & ad æterna dirigebat. Insuper magna severitas in prædicto Priore fuit, nam in excessibus corrigendis nulli parcens, neminem palps, æqualiter tam in senibus quam juvenibus id, quod corrigendum fuerat, strenue corripiebat, sicque factum fuit, ut Ordinis Observantia tam ab eo, quam à sibi commissis diligenter servaretur, & quamvis strenuus in corrigendis, non minus tamen salutaria monita subditis suis sæpissime ministravit. Prædicti etiam Prioris studium tale fuit; videlicet, ut dum viam aliquam foras Monasterium peragravit, aut orabat, aut meditabatur,

batur, aut de illis loquebatur, quæ ædificabant ad salutem, cùm jam Monasterium egressurus cæperat ambulare, spirituales materias & speciales suo infixit cordi, per quam contra inania & otiosa, quæ occurrere possent, mentem occuparet.

CAPUT XXXVI.

De quatuor Principalioribus Virtutibus prædicti Prioris.

Prius prædictarum virtutum dona, quæ hic Venerabilis ac Deo devotus Prior in se habuit, alijs quatuor jamjam huic opusculo inferendis magno ac singulari desiderio studuit inhaerere, videlicet, ut Christum Deum, & hominem sinceriter adamaret; spiritualis disciplinæ rigorem institueret, & servaret, salutem plurimarum animarum procuraret, insuper & multa Monasteria (quantum in ipso fuerat) reformaret, hæc namque ejus principaliora virtutum dona singulatim declarabo.

CAPUT XXXVII.

De primo Virtutum signo. Quomodo Christum amaverit.

Quomodo & qualiter prædictus Prior Christum sinceriter adamavit, calamo & atramento ad plenum exprimere non sufficio; in tantum enim amor ejus in Ipsum ferebatur, ut si mentem suam & affectiones sensisset aridas circa Christum, in tantum corpore sese debilem repererit ac torpentem, ut lectum petens alta suspiria velut ab eo derelictus, sonorosè emitteret, etiam ut Christo eò pluries, eoque ferventiùs inhaereret, sculptam imaginem Crucifixi (quæ in Ecclesia B. MEINULPHI in sublimi quasi ad te-
studinem posita fuit) inferius poni fecerit supra murum in vicino & aspectu suo, ut mentem suam ad Christum ferventer amandum cele-
riùs incitaret. Eandem ob causam & aliam Crucifixi Imaginem in opposito sui Stalli propè summum Altare fecerat collocari, & ne ejusdem Domini JESU quovis modo oblivisceretur, habebat & aliam
ejus